

non planè improbat.. Ego verò caput à Watsonio citatum diligenter repetens, non nisi duo Theoremata invenire potui, ubi hujus rei mentionem facio. Primum ad motum cœli primum spectans est XI. quod ita se habet : *Motus astrorum apparens revera, nec tantum apparenter astris ascribendus est, non terra, &c.* Et hoc postea probo demonstrationibus duabus, quarum prima est Aristotelis, altera mea, ex motu nubium à ventis agitatarum desumpta. Qua si me causæ prævaricatum ostenderit Watsonius, allatâ de suo argumentatione firmiore, meam verò minus idoneam esse demonstrato, tum dicam plura ipsum præstitisse, quàm omnes Astronomi, qui quidem mihi sint cogniti, hæctenus præstiterint. Ne tamen scrupulum relinquam ipsi vel alii de obscuritate sensus forte conquesturis, duo errata typographica, quæ ibi occurrunt, corrigenda putavi. Primum pag. 63. ubi verba finalia lineæ tertiæ ita habere debent, *quæ aëre à ventis.* Alterum est pag. 64. ubi prima vox lineæ tertiæ esse debet, *æqualis*, pro *qualis*.

§. 2. Alterum Theorema de motu terræ agens, & ad motum secundum spectans, est in ordine XX. Initio statim hæc habens verba : *Motus magneticus, quo ex sententia Keppleri quinq; Planeta, Saturnus, Jupiter, Mars, Venus & Mercurius, circa Solem feruntur, non potest eodem modo in terra locum habere.* Argumentum ipsum, quia prolixius, libellus verò omnibus obvius est, nolo ascribere. Videatur loco citato si placet, saltem conclusio pag. 76. & [ubi tota ratio motuum cœlestium repetitur] pag. 78. & seqq. ex quibus omnibus si Watsonius sequi putat, favere me motui terræ Copernicano, dico ipsum non intelligere rationem demonstrationis ex Hypothesi vel ab absurdo. Quam ut intelligere discat, antequam legat sequentia, autor ipsi sum, ut inspiciat exemplum apud *Euclidem* facillimum [plurima enim habet, sed studiò facillimum adduco, ut parcam imperitiæ ejus in Mathematicis] quod habet *l. 1. El. prop. 6.* ubi demonstraturus ; Si Triangulum habeat duos angulos, ad basin æquales, crura etiam æqualia habere, assumit ejus contradictoriam, & cum hac propositionem quintam antecedentem, & inde deducit hoc absurdum, partem esse æqualem toti, cum tamen inter Axiomata Mathematica sit, *totum esse maius qualibet sua parte.* Ita ego, cum dicerem de terra verbis paulo ante citatis, si motus terræ circa Solem magneticus à Kepplero inventus locum in eo habeat, diversum eum esse à motu quinque Planetarum

netarum